Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift



interitu figuraliter inmundi homines uocis et rationis
exptes iudicantur. Nam quis more porci uixerit et in
monte superbie pascitur non in eum accipiet potestatem
diabolus ad perdendum. At illi exeuntes abierunt
in porcos usque et mortui sunt in aquis. Ecclesia iam
clarificata et populo gentium a demonum dominatione
liberato sacrilegos suos ritus in abditis agunt qui xpo
credere noluerunt. Et notandum est quia nec pecoribus
nocere possunt demones. quanto minus hominibus nisi
concessa a deo potestate quam eis in nobis bonus deus occulta
iusticia dare potest iniuste non potest. Pastores autem fu
gierunt et uenientes in ciuitatem nunciauerunt omnia
et de his qui demonia habuerunt. Quod pastores porcorum
fugientes ista nunciant. significat quosdam etiam primates
impiorum quamquam xpianam legem fugiant quod potentiam tamen
eius per gentes stupendo et mirando predicare non cessant.
Et ecce tota ciuitas exiit obuiam ihu. et uiso eo rogabant
ut transiret a finibus eorum. Ut non nulli arbitrantur non superbia
hoc faciunt sed humilitate conscii fragilitatis sue iudi
cantes se presentia domini indignos. Quod et petro contigisse
legimus quando dixit exi a me domine quia homo peccator
sum. Mystice autem quod geraseni inuenerunt hominem uesti
tum et mente sana sedere ad pedes ihu ut lucas dicit
et cognoscentes quid factum sit rogant ihm ut discedat
ab eis significat multitudinem uetusta uita sua delectatam